

263

261

267

257

272

252

312

212

362

162

Ende

Anfang

248

aliam capellam ingressi sumus devotam et occultam. Haec capella creditur esse locus ille secretus, ad quem Dominus Jesus duxit discipulos, quando dixit: surgite, eamus hinc, ut habetur Johann. 14. in fine capituli. Dicunt enim doctores, Sanctus Thomas, Albertus Magnus, Hugo et Lyra, quod post coenam lotis et communicatis discipulis, cum Dominus sermonem ficeret, sedens in loco, ubi coenati fuerant, et manifeste diceret se tradendum, et quod post modicum eum non essent visuri, et hoc discipuli turbati et territi, aspiciebant continue contra ostium coenaculi, timentes captionem magistri, et minus attenti erant ad suos sermones, et quia volebat eis adhuc aliqua ardua dicere, ut illa attentius audirent, et minus timerent, dixit: surgite, eamus hinc. Et descenderunt de superiore coenaculo ad habitaculum inferius, et ibi perfecit sermonem et ultimatam devotissimam orationem, quae habetur Johann. 15. et duobus capp. sequentibus. In tota serie sacrae scripturae non habetur ita devota, dulcis et consolatoria et plana oratio sicut Johann. 17., quae in hoc loco facta esse creditur a Christo. Procidimus ergo ibi ante altare petentes a Domino Iesu nos participes fieri suae devotissimae orationis ibi factae, et indulgentias accepimus (†). In hoc sacro habitaculo est pars columnae, in qua flagellatus fuit Christus, in muro cancellis ferreis obfirmata, ita tamen, quod digitis potest attingi. Sunt etiam in latere ejus lecti pro hospitibus, in quibus in prima mea peregrinatione dormivi. Est etiam ibi cella fratris sacrificiae, et fratris Johannis, qui milites creat in sancto sepulchro, et est etiam fratrum procurator etc. Ab illo ergo loco sursum per lapideos gradus ascendimus in ecclesiam, et finem processioni fecimus. Haec enim sunt loca intra conventum sancta situata. Extra vero sunt multa plura loca sancta, ut patebit,

De prandio peregrinis dato per fratres montis Syon.

Processione finita, quae quasi usque ad meridiem duraverat, cum peregrini in hospitale descendere vellent, accurrerit Pater venerabilis Gardianus, et frater Johannes procurator, et omnes peregrinos ad prandium invitaverunt. Paraverant autem pro nobis mensas et tabulas longas in horto Conventus, quia